Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1139

Quelle:
Copyright:

epiſcopatum editis et poſt epiſcopatum in vnum librum collectis. Titulus hic erutus eſt e L. I. *Retract.* c. 26. qui locus etiam hic in Codice praefixus legitur. In eo diſerte memorantur *Quaeſtiones LXXX. tres*, et tamen in Elencho ſubſequo, qui ordine cum Edit. T. VI. *col.* 1. non concordat, habes LXXXV. duas videlicet advenas, quarum prior numero LXIV. *Eum qui ut vult viuit beatum eſſe*, altera numero LXXXI. *De Paſcha.* Utramque reperies in *Append.* ejusd. T. *col.* 1. in *Libro* dicto XXI. *Sententiar.* ſeu *Quaeſtionum*, in quo utut non omnia *Auguſtini* ſint, hae tamen II. *Quaeſtiones* certius ad eum pertinere videntur; nam eadem cum priore diſputat in L. *de beata Vita* et XIII. *de Trinit.* et Ritum Paſchatis Judaici de Agno Chriſto exponit T. III. P. 2. *col.* 630. 653. et T. V. *col.* 744. &c. Indagandum foret igitur, an omnia antiquiſſima Exemplaria mſs. cum ipſius *Libri Quaeſtionum*, tum *Retractationum* in *Quaeſtiones* LXXXIII. conſpirent, nullumque LXXXV. adſignet.

XI. *fol.* 98. decurſis octo *Auguſtini* Opuſculis gradus fit ad *Anſelmum Cantuar.* rubricationibus deinceps omiſſis, charactere vero, qui paene lyncis viſum deſiderat, continuato, et primo quidem comparent Libri II. *Cur Deus Homo*, eodem numero in *Capita* diſtributi, ut edit. *Gerberon. Pariſ.* 1721. p. 74. f. Prooemium inſit: *Opus ſubditum propter quosdam* &c. Opus ipſum: *Sepe et ſtudioſiſſime a multis rogatus ſum* &c. Textus ſincerus.

XII. *fol.* 107. p. 2. *De conceptu virginali et de peccato originali.* Initium: *Cum in omnibus religioſe tue voluntati velim ſi poſſim obſequi* &c. ut edit. *cit.* p. 97. nulla tamen in *Capita* diviſione.

XIII. *fol.* 111. *De Proceſſione Spiritus ſancti.* Reſcribe *De Azymo et Fermentato.* Nil enim aliud eſt, quam *Anſelmi* Reſponſum ad *Waleranni* Quaeſita de Proceſſione Spiritus ſ. de Pane euchariſtico et de Connubiis, quod habetur edit. *cit.* p. 135. Incipit Codex: *Anſelmus ſeruus eccleſie cantuarienſis — — — nuemburgenſi epiſcopo. Scienti breuiter loquor. Si certus eſſem prudentiam veſtram non fauere ſucceſſori Julii ceſaris. et neronis et iuliani a poteſtate*, ridiculo lapſu pro *apoſtatae* &c. et finit: *ſaltem non reprehendant azimitas.* Deeſt igitur C. *Gerberonii* VII. de Connubiis.

XIV. *fol.* 112. *Anſelmus de Officijs.* Ita margo. Eſt vero Epiſtola hujus initii: *Fratri in chriſto kariſſimo illuminatos oculos cordis. Lego et relego kariſſime opus ueſtrum de officiis multumque me delectat eius lectio* &c. Epiſtolam hanc inter *Gerberonii*, *Dacherii*, *Baluzii*, *Martenii* editas non reperi. Carpit in ea *Anſelmus* quaedam non rite expreſſa in illo Opere circa Transſubſtantiationem, atque ait inter alia: *Nam panis ſubſtantiam poſt dominici corporis conſecrationem in altari ſupereſſe ſemper abhorruit pietas chriſtiana, nuperque damnauit in berenſeco* (Berengario) *turonenſi eiusque ſequacibus.* Unde cenſeo datam hanc

Epi-